

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Lorenz Stephani Jakob Hasert

## **Disputatio De Sequestratione**

Rostochii: Myliander, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728671271>

Druck Freier  Zugang



R. U. inv. 1610  
Stephani (Hasenff)



Disputatio  
DE *Verantklung*  
SEQUESTRATIONE.

*Quam*  
*Divinâ favente Gratâ*  
Permissu & Authoritate Amplissimæ Fa-  
cultatis Iuridicæ in celeberrima Aca-  
demia Rostochiensi

P R E S I D E  
LAURENTIO STEPHANI,  
J. U. D.

Publicè  
*In majori Auditorio 7. die Februarij*  
*Habebit*  
JACOBUS *Hasertt*  
Sundens. Pom.

R O S T O C H I I  
*Typus Stephani Myliandri*  
Anno M. D C X.



DISPUTATIONIS  
De Sequestratione.

Thesis I.

Equestris vocabulum in legibus & authoribus varias significaciones recipit.

II.

Significat enim nonnuncquam sequester honorarium arbitrum, & quasi conciliatorem, qui dissidentes partes ad pacem reducere curat; Græcis dicitur μεστης.

III.

Quo significatu Tertullianus Salvatorem nostrum JESVM CHRISTVM sequestrem appellat; dum inquit: Hic sequester Dei atq; hominum appellatur, ex utriusque partis deposito sibi commisso. Item. Ad eū satis idoneus patientiae sequester est Deus, si injuriam deposueris penes eum, ultor est, si dolorem, medicus est, si damnum, restitutor est, si tristitiam, consolator est, si mortem, resuscitator est.

IV.

Interdum sequester & is dicitur, qui sponsionis causa aliquid accepit eā lege, ut pro præmio id victori redideret.

V.

Sequester aliquando accipitur pro eo, apud quem pecunia corrumperi judicij causa aut tribuum deponebatur, ut suffragia obiungerentur.

V I.

At frequentissimè & propriè sequester in jure nostro, intelligitur tertia persona, apud quam eadem res de qua controversia est deponitur, è conditione, ut ea illi restituatur, qui in causa victoriam obtinebit.

V II.

Hinc Dd. pro sequestro ponere intertiare, & sequestrum medium manum dicere consueverunt.

VIII.

Dicitur verò sequester ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur. authore JC. Modestino.

IX.

Quæ nominis notatio eti voluntariam sequestrationem propriè & origine sua concernit; tamen ad necessariam sequestrationem quodammodo produci potest.

X.

Sequestrationem definimus translationem possessionis vel detentionis rei litigiosæ, in tertiam personam, consensu partium vel autoritate judicis factam, è conditione, ut qui vicerit, ei ea res reddatur, restituatur.

XI.

Et est ea duplex. Voluntaria sive Conventionalis & Necessaria.

XII.

Addunt & hisce duabus sequestrationis speciebus, nonnulli Interpp. & prætoriam & mixtam; quod improbamus.

XIII.

Voluntaria sive Conventionalis est, quæ fit partium consensu.

XIV.

Necessaria est quæ fit judicis officio.

Illam

XV.

Illam Dd. Causatiyam; hanc Temerariam appellant;  
sed minus juridicè.

XVI.

Voluntaria sive Conventionalis sequestratio semper  
& omni tempore concessa & permissa est.

XVII.

Sed utrum idem de necessaria Sequestratione dicen-  
dum sit? ingens juris interpretum est dissensio.

XVIII.

Distinguunt quidam inter actiones reales & persona-  
les; & in his Sequestrationem esse prohibitam defendunt,  
in illis verò concessam & permittam.

XIX.

Sed rectius & probabilius est dicere, necessariam Se-  
questrationem legibus & Canonibus regulariter esse pro-  
hibitam.

XX.

Quod & communis Dd. schola approbavit.

XXI.

Sanè permittitur ea, si rei necessitas id postulet, vel  
alia justa causa judici appareat.

XXII.

Justa causa autem sequestrationem efficiens est, si ad-  
versarius de fuga sit suspectus.

XXIII.

Quod *J.C. Vlpiianus* suo responso confirmat: si fa-  
tis datum pro re mobili non sit, (*inquiens*) & persona su-  
specta sit, ex qua satis desideratur, apud officium deponi  
debet.

XXIV.

Justa causa imponendi sequestrum rebus litigiosis &

A 3

hæc est,

hæc est, quando nimis res, de qua controvertitur, ab ejus possesso dilapidatur.

XXV.

Sanè & armorum metus ac timor sequestrationi causam præbet.

XXVI.

Cur enim (inquit Julianus teste Vlp.) ad arma & ri-xam procedere patiatur prætor, quos potest Jurisdictione sua componere?

XXVII.

Quam æQUITATIS rationem considerantes Impp. Rom. novellis suis constitutionibus sequestrationem hoc casu permiserunt. Quod & ordinatio Camera Imperialis comprobat.

XXIX.

Ob nimiam mariti sævitiam & immanem crudelitatem sequestratio etiam permitta est, ut mulier, quam vir capitali odio adeò prosequitur, quod merito de ipso diffidat, alicui probæ & honestæ mulieri usque ad cause decisionem custodienda studiosius committatur, in loco ubi vir mulieri nullam possit violentiam inferre, rescribente Ale-xandro III. Pontifice.

XXIX.

Contumaciam itidem sequestrationis causam justam esse Dd. concludunt. Contrarium autem magis juri nostro consentaneum esse asserimus.

XXX.

Sequestrò ponere possunt omnes, qui non prohibentur naturâ vel lege.

XXXI.

Naturâ prohibentur pupilli, rem, de qua in judicio disceptratur, apud sequestrem deponere, & si secus fecerint illo homine non tenentur, nisi ex ea translatione locuple-

cupletiores facti fuerint, suamque conditionem melioram reddiderint.

XXXII.

Furiosus uti & mente captus itidem prohibentur rem litigiosam sequestrare.

XXXIII.

Lege interdicitur sequestratio prodigiis, seryis,

XXXIV.

Sequestrum in se recipere possunt omnes, qui specialiter in se recipere illud non vetantur.

XXXV.

Vetitis autem personis non adnumeramus pupillum, judicem.

XXXVI.

Verum recte illis adjungimus litigantes.

XXXVII.

Similiter servus sequestrri voluntarij munus obtinere non potest.

XXXVIII.

Potest quoq; in æde sacra, vel καμηλαιαρχεία civitatis sequestratio fieri.

XXXIX.

Quo casu ab administratoribus custodiri res debet.

XL.

Sequestrari possunt non tantum res mobiles, verum etiam sele moventes.

XL I.

Imò in interdicto, quo agitur de liberis exhibendis, quii ab aliquo detinetur, si is controversiam faciat auctori, fœminam prætextatam, cumque qui proximè prætextati ætatem accederet, interim apud matrem fam. deponi debere, prætor jubet, donec res judicetur, JC. Ulpiano respondentē.

A 4.

Idem

## XLII.

Idem de puella de cuius nuptijs disceptatur. *Alexander III. Pontifex Papiensi Episcopo* rescribit; puellam de cuius matrimonio quæstio ventilatur, in domo, in quâ nihil eam timere oporteat facias honestè teneri, donec prædicta causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cuiusquam valeat executioni mandari.

## XLIII.

Et hoc quotidiè fieri, præclarissimus *Jctus Dominus Jacobus Cujacius* testatur.

## XLIV.

Rerum immobilium utputa fundorum, agrorum, vinearum & similium sequestratio propriè non sit; sed fructus agrorum vinearum, &c. ex causa lite pendente sequestrò deponuntur.

## XLV.

Quod & Impp. *Antonino & Vero* æquum visum fuisse, ut fructus agri, de quo disceptatio sit, cum depopularentur ab adversario, apud Sequestrem deponerentur, refert *Jctus Papirius Iustus*.

## XLVI.

Ut autem sequestratio à judice super re litigiosa decreta, iusta & legitima sit, partis adversæ, contra quam Sequestratio petitur, citatio regulariter requiritur.

## XLVII.

Nam inaudita & non citata altera parte, ad Sequestrationem procedere judex non potest.

## XLVIII.

Et citatio non præsumitur nisi doceatur eam factam fuisse.

## XLIX.

Sunt tamen aliquot casus, quibus non citata parte, judex ad sequestrationem procedere potest.

Deinde

L.

Deinde ut justè ad sequestrationem veniatur, necessarium est, ut is qui eam petit judici cautionem præstet.

L I.

Non enim ad nudam facti propositionem & assertiōnem adverſae partis, iudex rebus litigiosis sequestrum imponere potest.

L II.

Debitum cuiuscaus sequestratio fieri petitur, à parte adverſa probandum est.

L III.

Num autem id per instrumentum publicum necessariò fieri debeat? inter Dd. controvertitur: Nos instrumentum publicum non requiri existimamus.

L IV.

Porrò requiritur etiam in casibus permīssis à sequestrationis remedium petente justæ causæ probatio.

L V.

Amplius & hoc requiritur, ut iudex causam cognoscat: quod adeò verū vulgares Interpp. esse autumant, ut causæ cognitionem etiam in notorijs intervenire necēsum sit.

L VI.

Sequestratione legitimo modo peracta sequestri incumbit, ut rem fidei suæ commissam diligenter custodiat, & suscepto semel officio talem diligentiam adhibeat, qualēm bonum virum, in re aliena custodienda adhibere decet.

L VII.

Quoniam de dolo & lata culpa conveniri potest.

L VIII.

Sed si res sequestrò positæ servando servari non possint,

sint, sequestris officium est, eās distrahere, & pretium loco rei servare.

LIX.

Hinc difficilis & inter Interpp. controversa quæstio suboritur: An rei sequestrò positæ possessio in sequestrem transcat?

LX.

Communiter Dd. distinguunt inter necessariam & voluntariam sequestrationem; & in illa possessionem in eum non transire; in hac verò transire docent: quam sententiam, tanquam Juris textibus & rationibus satis munitam, approbamus.

LXI.

Sequestrem enim in dubio possidere, idq; ea depositio ne agi, ut neutrius possessioni id tempus procedat, *JCtus Florentinus* ait.

LXII.

Sed & si omittendæ possessionis causa, apud sequestrem res deponatur, & hoc aperre fuerit approbatum, ad usucaptionem possessio ejus partibus non procedet: at si custodiæ causa deponatur, ad usucaptionem eam possessionem victori procedere, constat, *JCto. Juliano* dicente.

LXIII.

Cæterūm sequestrum rebus litigiosis impositum tolli vel relaxari potest.

LXIV.

Et quidem voluntarium, quemadmodum mutuo consensu constitutum est, ita quoque mutuo dissensu dissolvitur.

LXV.

Necessarium verò relaxatur, si is, contra quem sequestratio decreta est, satisdare paratus sit; qua satisdatione sequ-

sequestrum rei litigiosæ injunctum tollitur, modò causa  
sequestrationis etiam per illam possit tolli.

### L XVI.

Finitur sequestratio cum post plenissimam definitio-  
nem, victori res antea litigiosa, restituitur. Imperat. Ju-  
stiniano ita rescribente.

### L XVII.

Item per sequestris renunciationem sequestrationi fi-  
nis imponitur. Non tamen sequestro permittitur offi-  
cium, quod semel suscepit, contra legem depositionis  
deponere, nisi justa causa interveniente, & tunc eum præ-  
torem adire oportere. Pomponius, teste Vlpiano, ait.

### L XVIII.

Finitur quoq; sequestrum morte sequestri, nec hoc  
officium in heredes suos transmittit.

### L XIX.

Superest ut de actionibus ex sequestro venientibus lo-  
quamur. Venit autem ex sequestratione voluntaria a-  
ctio depositi sequestraria, Authore JC. Pomponio.

### L XX.

Quæ duplex est, Directa & contraria. Directa da-  
tur victori contra sequestrem ad restituendam rem seque-  
stratam. Contraria datur sequestri adversus victorem  
ad consequendum id, quod in rem litigiosam impen-  
derit.

### L XXI.

Salarium cum tamen hac actione petere non posse,  
asserimus.

In se-

LXXII.

In sequestratione verò necessaria, ad consequendum  
id, quod debetur, judicis officium implorandum est.

LXXIII.

A sequestratione differunt; Depositum, Arrestum,  
Missio in bonorum possessionem, Præceptum de nos  
alienando.

Soli Deo Gloria.



LXXI.

Cadent omnes qui nomen domini miserantur  
in gloriis suis.





sequestrum rei litigiosæ injunctum tollitur  
sequestrationis etiam per illam possit tolli.

### L XVI.

Finitur sequestratio cum post plenissimam victori res antea litigiosa, restituitur.  
*finianus ita prescribens.*

### L XVII.

Item per sequestris renunciationem sequens imponitur. Non tamen sequestro pecuniam, quod semper suscepit, contra legendum deponere, nisi justa causa interveniente, & iudiciorum adire oportere. *Pomponius, teste V*

### L XVIII.

Finitur quoque sequestrum morte sequum officium in heredes suos transmittit.

### L XIX.


Supereft ut de actionibus ex sequestro videntur quamur. Venit autem ex sequestratione etio depositi sequestraria, Authore JC. P

### L XX.

Quæ duplex est, Directa & contraria, datur victori contra sequestrem ad restituendam stratam. Contraria datur sequestri adveniens, ad consequendum id, quod in rem litigiosam derit.

### L XXI.

Salarium cum tamen hac actione petetur afferimus.



the scale towards document